

Q.K. 381, 18.

X190.40551

ORATIO
REGIS POLONIAE



LEGATI
CHRISTOPHORI PRZIEMSKI

AD

REGEM SVECIAE

Habita COLO^{18.}_{28.} Augusti An. 1655.

Et ad illam

Responsio per Epistolam

ERNESTI PACIANI.

Item

REGIS SVECIAE

LITERAE UNIVERSALES

AD STATUS REGNI POLONIAE,

ET

LITERAE REVERSALES

MAGNI DUCATUS LITHVANIAE

DE FIDE REGNO SVECIAE SERVANDA.

☉) (o) (☉)

ANNO MDCLV.





LEGATIO

PERILLVSTRIS

DN. CHRISTOPHORI PRZIEMSKI,

Cubicularij Regis Poloniae,

AD REGEM SVECIAE

exposita & peracta COLO^{18.}_{28.} Augusti anno MDCLV.

Serenissime Rex, Domine Clementissime.

MIrari satis non potuit Serenissimus Rex ac Dominus meus clementissimus IOHANNES CASIMIRVS cum Senatu suo, accepto primo nuncio, intrasse exercitum R^{ae} M^{tis} T^{ae}. Duce VVirtenbergio fines Regni sui. Tum vero stupere etiam magis cepit, cum personam R^{ae} M^{tis} Tuæ alio exercitu stipatam advenisse intellexisset. Me igitur tam Serenissimus Rex meus, quam etiam Senatus ad Tuam M^{tem} delegare voluerunt, ut tantum scire possimus, quis ille sit affectus & animi impetus, qui M^{tem} Tuam eoulsque impulerit. Vehementem enim esse oportet, qui nullis hucusque medijs, non de pace tractatibus, non legationibus in Sveciam missis, non sanis pactorum & induciarum vinculis cohiberi potuit. Ad iram & indignationem non satis causæ videmus. Quod enim tantum facinus vel Rex noster vel Resp. commiserunt, ut tam severa ultione illud vindicare M^{tas} Tua in animum induxerit? Nos, Deo teste nihil tale scimus. Inducias semel factas semper sanctissime coluimus. Svecis in Germania bellum gerentibus, & rebus nostris pace tum florentibus,
licet

licet multoties in societatem belli contra ipsos invitare-
mur, nunquam publice nocere volumus: antiquior enim
nobis fuit fides semper, quam utilitas. Quod si privati ali-
qui hostium rebus favebant, multi etiam fuerunt, qui Sve-
cis operam suam navarunt: tot Borussi, Livones, Curlan-
di, Regni Poloniae subditi, tum & ipsi Poloni, probati no-
minis, in vestris castris militarunt. Testis est vel frater meus
germanus Sigismundus Przimski, bene M^{ris} T^{ae} notus, &
jam tristi hoc bello nostro à Barbaris nuper extinctus; vel
ego ipse, qui non tantum sub signis GVSTAVI illius MA-
GNI, Avunculi M^{ris} T^{ae}, tyrocinia mea exercui, sed etiam
non ita pridem Galliae Regi, Sveco fœderato, non contem-
nendam Polonorum manum ad expugnandum Dünker-
kum adduxi, nec inenem, ut credo, per biennium operam
præstiti. Cancellariae etiam errores, vel alia minutiora, non
tanta fuerunt, ut armis vindicari deberent. Est igitur ali-
quid aliud. Dicerem, esse cupiditatem divitiarum; sed sci-
mus, hoc animi vitium longè à natura M^{ris} T^{ae} abesse: &
ex Regno tui misero, lacerato & devastato quid jam amplius
extorqueri potest? Octennium est, ex quo Regnum hoc
bellis, & quidem atrocissimis, affligitur; & quot anni, tot
verè clades, atque exercitus vel caesi vel dissipati, totque ite-
rum reparati. Quale tandem est imperium, quod tantis ca-
lamitatibus non succumberet? Quales thesauri, qui non
extenuarentur? Intraisti, Rex Potentissime, provinciam vi-
ciniorem, majorem scilicet hanc Poloniam, & civitates, ut ab
incommodis belli remotiores, ita etiam feliciores. Consi-
dera miserorum hominum pauperiem, & inde de alijs locis,
qui propius malo siti fuerunt, vel in quibus bellum geri-
tur, judica, quantopere exercitus ex illis ditabuntur Nullae
hic urbes opulentæ, non mercatores divites, non auri vel
argenti fodinae. Divitiæ nostræ annui fructus sunt ex pecore
A 2 & cam^{is}

& campis: quæ omnia si ab exercitibus tam M^{tas} Tuæ quàm nostris, consumantur, agricultura cessabit. Nec ullæ unquam contributiones sperandæ, imo & metuendum, ne nobis & exercitibus tuis fame sit pereundum. Si igitur nec satis causæ ad iram, nec & multum incitamentorum ad cupiditatem M^{tas} Tua habeat, suspicari cogimur, M^{tem} Tuam alijs stimulis adductam, ut nobis bellum inferret: Famâ nempe & gloriâ, verissimis humani ingenij oblectamentis. Sed quæ hæc gloria? Dum nos cum hostibus immanissimis pro salute & vita decertamus, Tu, Rex Potentissime, nos etiam armis occupas. Si gloriam vis, veram, non vanam quære: vera autem erit, si aliena non appetens suum cuiq; tribuas. Rumor est apud nos, velle Te protegere Poloniam. Si hoc est, protegas gentem contra hostes immanissimos: Populo libero libertatem non adimas: Repti legitime à nobis electo & Tibi sanguine juncto Regnum serves. Tunc verò Te non pro Protectore, sed etiam Benefactore habebimus, & Conservatori nostro Tibi trophæum erigemus. Majorem inde consequeris gloriam, quam si maxima Regna Tuo amplissimo adjicias Regno. Sed si Regnum hoc vi & armis M^{tas} Tua in animum induxit occupare, putatne, hoc firmum fore imperium, & Sveciæ jungi posse Poloniam? Disjunctissima sunt hæc Regna: divisit natura mari: dissociavit constitutio imperij & religio: discrepant legibus, moribus, habitu, linguâ: in nulla re sibi hi populi sunt similes, nisi ferociâ, discordiarum omnium fomite. Vi igitur partum imperium bonis artibus administrari posse, M^{tas} Tua non speret, sed semper ad secures & supplicia recurrendum erit. Quæ verò uæ gloria, ex Principe benigno & clementi mutari in crudelem & truculentum Dominum? Aliam ergo, Magnanime Princeps, ingrediere viam, & nobis parce. Pacem jam petimus, deprecamur bellum, & quid à nobis M^{tas} Tua postulet,

postulet, ut aperiatur, rogamus: Nos M^{ti} Tuæ in omnibus satisfacere satagemus. Gradum tantum sistat, cum armis ulterius non progrediatur, & de pace toties oblata nobiscum tractare non dedignetur.

EPISTOLA
ERNESTI PACIANI
AD
CHRISTOPHORUM PRZIMSKI
DE ORATIONE
AD
REGEM SVECIÆ
COLI HABITA.

Videbar, PRZIMSKI, aliquod operæ pretium facturum, si svasorias tuas pro pace vel inducijs impetrandis rationes exactius perlustratas tibi rursus sisterem, ostenderemque pro voto tuo implendo satis efficaces eas esse non posse, quanquam Rhetorica industria nihil non egisse videaris; ex ea gente alias natus, quæ, Scholasticis insuper habitis, tumori & minis propius, quam precibus, loqui sivevit. Quicquid sit, unicum tuum scopum fuisse apparet, ut pacem petendo bellum omnino deprecareris. Atque ut in eo accurati pariter iudicij virum agere ac præierea humaniter satis te gerere ostenderes, ad Inventionum & Topicorum loca conversus, tria præcipue argumenta mutuatus es, quibus magnanimo REGIS SVECIÆ proposito gloriæ nervos succideres, aut pulcherrimo operi languorem saltem injiceres. Igitur, ut feliciter ordineris, ab admiratione auspicari cepisti: REGEM SVECIÆ scilicet tanto cum exercitu in Poloniam migrasse.

grate, ad id quidem te obstupescere. Quasi vero Poloni
nullius culpæ rei; aut Senatorum Regni SVECIAE ad Senato-
res Polonicos literis non essent admoniti, vel denique,
quod orbi universo tabulis publicis patefactum est, te unum
fugere debeat; aut nunc demum, quum REX SVECIAE V Var-
saviam properet, expeditio Svecica ad aures Polonorum
perveniat? Ego vero, PRZIMSKI, verecundum duco, Polo-
nos, REGEM SVECIAE ubi vis supplantare certos; Palladium
Regni & Insignia SVECIAE sibi vendicantes; illustres Lega-
tionum operas evidentes; controversiarum ante LX. prope
annos ortarum lites inexplicabilioribus semper tricis, tur-
bis & prorogationibus implicantes; quin insuper Externo-
rum fœdera in detrimentum rei Svedicæ sollicitantes; clas-
sem quoque externam in mare Balthicum ad commercio-
rum usum & antiquam Septentrionalium Regnorum li-
bertatem frenandam pellicentes; amicorum animos, quan-
tum in ijs est, avertentes; multaque alia contra jus & fas a-
gentes; domi adeo ociosos sui que immemores esse, ut,
Quid aut Quibus hoc faciant, Quidve mereantur, ne qui-
dem per somnium cogitent. En piè rite que servata fœderis
induciarum que sacramenta, ad quæ tam audacter provo-
cas, PRZIMSKI. Mihi crede, rem leviculam Suecis non vide-
ri, POLONUM REGEM nunc in Livonia, Oselia, Pomerania
sibi vel attrahendis vel perdendis; nunc in juvando inimi-
co, vel bonos Svecorum conatus impediendo, Majorum
suorum male fidis vestigijs sic insistere, ut hæc eadem in
Svecorum interneccionem & contemptum vergentia non
solum probet, & quibuscunque artibus rursus premat &
urgeat, sed etiam Instrumento publico utrinque probata
improbet, pacta conventa sus que de que habeat, REGI SVE-
CIAE (licet aliter nuper monitus,) Titulos Regios & Sigil-
lum, adeo que Regnum ipsum, non dicam, invideat; sed ipsi
tan-

tantum non neget, sibi vero attribuat, & ludificantibus ne-
scio quibus coloribus tueri pergat: id vero est, quod vel
patientissimi Regis animum lædere, visceraque rumpere
ac ad justam vindictam excitare possit. Sed publice Polo-
nos læsisse videri nolis PRZIMSKI? Cur igitur reos non de-
diderunt? cur proterviam non, castigarunt, cum Ministri
Svecici de facinoribus quererentur? cur conniverunt? cur
malè facta extenuarunt? cur tacendo dissimularunt? For-
san digni visi sunt Sveci, in quos intolerabilia & erectis a-
nimis indigna admitterentur, utpote quos Poloni (ut Sta-
rovolscius palam profiteri non erubescit) minimi semper
faciebant. Non inepte ergo in oratione tua suspicatus es,
PRZIMSKI, ob has & similes causas bonos sensus confundi,
animos fodicari, odium justum subnasci, & furorem tan-
dem armorum erumpere, ad vim Sacris Regijs Dignitatiq;
illatam fortiter arcendam, & nefas expiandum, donec pœ-
nam eò extendi posse intelligatur, ubi culpa & ludificatio
annuatim & sine fine augetur. Horum omnium si, ut bene
suspicatus, ita rationem subduxisses, PRZIMSKI, opus non
fuisset, adventum armorum Svecicorum tanto cum stupo-
re mirari, utpote quæ POLONUS REX primum merito suo,
deinde per consensum & ministerium voluntatis Regiæ,
causæque iniquæ favorem, Respublica ipsa in se concita-
runt. Satis enim, ni fallor, REGI SVECIÆ causæ subest ar-
ma capiendi ad se suamq; & Regni dignitatem non in præ-
sens modo, sed, quod Regis est, contra futura etiam ingru-
entia mala tuendum, si qui causas belli nunc omnes sedulo
ignorat, quibuscunque occasionibus immineat, ut REGI
Regnoque Sveciæ inhiare pergat. Prætorquere collum
injuriam oportet, quam ad te perveniat. Lentum præterea
ac subsonnolentum foret, si, cum Princeps iniquis factis
& appropinquante periculo laceffatur & urgeatur, ad justam
iram

iram & vindictam subinde non excandesceret, non animū
acueret. Fructum verò tantæ expeditionis, qui præclare
facta cum iusta æstimatione & conjuncto decore nunquam
non comitari solet, ut assequantur Sveci, non est cur adeo
solicitus sis, PRZIMSKI, quo nimirum Procuratore Sveci
nihil quærere statuerunt. Iphis tamen prospiciendum est,
ne operæ suæ pretio omnino defraudentur, totq; sumptus
impendisse, tot maria ac terras frustra obiisse perhibean-
tur. Fallor enim, aut egestate non adeo premitur illa Polo-
niæ pars, quam aggressi sunt, ut super sustentationem ex-
ercitus nihil non pretiosi repperiant, quod ad plura & ma-
jora animo calcar addat. Vivunt adhuc Svecorum non-
nulli, qui sibi in memoriam facile revocant, quæ ante ali-
quot annos à Polonis eluctando extorserunt. Ac ipsimet
Poloni scriptis & ore nunquam non aureas chimæras, gem-
mas, utensilia & reliqua sua vasa argentea, phalerasque &
ornamenta eorum, suorumque splendorem habituum,
& reliqua non planè avararum manuum invitamenta, am-
bitione quadam verborum supra cæteras gentes jactare
ostentareque solent: quæ omnia cum bellica studia ani-
ment, adeoque luxuriæ Polonicæ sufficiant, quin modera-
to militum quoque Svecicorum usui, compensationique
cedant, faciantque, satis hætenus negatum non est, nisi in
quantum propitia victoris clementia deditis salutem & pa-
trocinium indulsit. Cæterum copia agrorum & terræ fœ-
cundæ abundantia, quatenus præcipue Sveciæ finibus con-
termina est, magnam utique spem militibus alendis & ven-
turæ securitati certum autoramentū monstrat, ne Poloni,
quod prædæ suæ diu destinarunt, impune devorent. Quan-
quam autem magna pars hujus militaris expectationis pro-
cul esset, nihil tamen satisfactioni Svecorum deesset, quan-
doquidem ratio & conscientia rectè facti satis locuples
merces

merces est. Et habent, de quo **REGI SVECIAE** gratias merito agant Poloni, quod, cum ingruentibus Barbarorum tempestatibus & inundationibus impares ipsimet sint, aliquam Poloniae partem sub alas suas recipere, & adversus vim tueri insuper non habeat. Recte enim atque ordine illi faciunt, qui, cum seipsum vel regere vel defendere nequeant, alijs sui tutelam committunt. Nihil etiam justius a justo **REGE** fieri potest, quam si ijs opem ferat, qui laborant & periculis objiciuntur. Necessitas quaedam vero imponitur, ut hoc faciat, si vicinus patitur, ne periculum incendiumque ad eum quoque trajiciatur. In hisce procul dubio vera gloria reposita est, **PRZIMSKI**, nisi, cum alibi gloriam sectandam contendas, svadeasque, Polonos tuos solos inglorios facere malis. Ego vero vel maximum gloriae campum apud magnanimos, ambitiosos, propriaeque laudi satis addictos Polonos quaerendum censuerim, ut discant aliquando, **SVECIS** quoque pectora animari non ad sustinendum solum, quae illi inferre parant, sed ad antevertendum mala proposita, adeoque eos ultro aggrediendum, & quotquot iustae reluctantur subjectioni, debitis frenis cohibendum. Idque ne non feliciter eveniat, nequicquam vereris, **PRZIMSKI**, quod Svecica natio Polonaque apprimè differant habitu, lingua, moribus, iustitutis & religione. Næ sodes injuriam **REGI SVECIAE** aperte facis, si ijs versaris cogitationibus, ut, cum **CASIMIRUM**, suos Polonos malè defendentem, nihilominus idoneum iudices ad regendam simul cum Polonia Sveciam, cui etiam tantopere insidiatus est hactenus, & si vires superessent, ultro appeteret; **REGEM** vero **SVECIAE** simul cum suis ditionibus Poloniam regere posse vereris. Vehementer erras, si nondum intelligis, **CAROLVM** industriae suae, prudentiaeque tam militaris, quam togatae, majus documentum & prius dedisse ac etiamnum dare, qui

B

re, qui

re, qui ab infimis propemodum militarium munerum ad
altissima gloriae grassatus, exercitus in Germania non ita pri-
dem sic rexit, ut multis virtutum argumentis probata in pa-
triam fide Optimæ Principi, Regiæque domui insigne orna-
mentum esset, mox etiam Principali sedi summo cum o-
mnium applausu destinaretur. Nunc verò singulari DEI
providentia Sceptra imperij adeptus, unius spacio anni ea
effecit, quibus in se suasque actiones multorum oculos ani-
mosque cum admiratione convertit. Nimirum DEVS Im-
periorum auctor & stator, quibus ad imperia provehenda
pro instrumentis uti constituit, ijs plerumque sceptrum pe-
culiari modo tradit, successumque cœlitus largiri solet.
Cæterum qui Sveones & Danos aliquos, Germanosque &
Livones, imo Finnones & Russos, moribus, linguis & longo
intervallo differentes moderatur, diffidendum non est, quin
Polonos etiam sub æquabili placidoque obsequio guber-
nare possit. Legibus enim suis quemque vivere permittit:
præterea nec habitus nec lingua multum turbabunt, si cæ-
tera concordant. Ea enim gens est utraque, ut in alterius
instituta & consuetudines facile migret. Leges verò, linguas
& mores alienos adeo facile addiscit, utroque miscet, & sic
componit, ut brevi tempore pro nativis agnoscat. Neutri
nunc quicquam externum aut minus conveniens videri
debet, ex quo utriusque nationis juvenus per peregrinati-
onis experientiam aliena mirari desijt, nihilque novum ar-
bitrari. Ne nunc exempla adducere necesse habeam Re-
gnorum & Rerum publicarum, quæ olim hodieque sub uno
feliciter imperio & gubernaculo nationes plures, moribus
& linguis diversas, complexæ sunt hodieque complectun-
tur. Qui benignitate, æquitate & clementia imperium
suum temperaverit, ei candida & læta omnia erunt; etiam
hostes æquiores, quam alijs cives. De Religione quid dicam?

Oran-

Orandus est DEUS pro revocandis seductis animabus, quibus vocibus si cœlum faverit, lætabimur Christiani. Sin verò in fatis adhuc fuerit, differri quibusdam lucifugis Evangelij opes, non est, cur propter paululum diversa in Religionem sentientes justitiã non regatur Polonia, quæ hætenus plus, quam ullum aliud Regnum, religionum varietate luxuriavit. Diuturnus etiam usus satis superque docuit, servatã cuilibet sui libertate sensus, imperia sobriè geri, salutemque populi sub germano regimine procurari posse, si hænenæ in manus tam prudentis & benigni REGIS inciderint. Sed de eo in futurum, cum de obsequio conventum fuerit, solliciti erunt Sveci. Nunc PRZIMSKI, si quid in te artis est, cum reliquis Polonis hoc age, ut pax cum æqua satisfactione militantium, & auctoramento de amplius non offendendo, SVECIS primo quoque tempore reddatur, aut per infestis & dolosas inducias bellum deprecari desine. Vale.

Litteræ Universales

S. R. Majestatis Sveciæ,

Quibus

Senatores & universa Nobilitas

REGNI POLONIÆ

pro suscipienda tutela & patrocinio

intra diem 20. Octobr. st. v. 1655.

VVarfaviam convocata.

NOS CAROLUS GVSTAVUS, Dei gratiã Sveconum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Casubia & Vandalia, Princeps Rugiæ, Dominus Ingridiæ & Westphaliæ, nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Iulii, Clivii & Montium

B 2

um

um Dux. &c. Senatoribus, Dignitarijs & universæ No-
bilitati, Terrarum in Palatinatu Siradiensi, gratiam & fa-
vorem nostrum singularem. Non potest vos latere, quam
gravibus causis moti simus, ad capienda adversus Regem
Poloniæ arma, præveniendaque ea mala, quæ Nobis, Re-
gnoque nostro, à dicto Rege jamjam imminere vidimus.
Huic armorum nostrorum justitiæ ita suffragata est Divini
Numinis bonitas, ut, sine ullo impedimento, non modo
nostræ potestatis fecerimus urbem sedemque, Regiam VVar-
saviam, sed etiam felici progressu magnam partem Polo-
niæ victrici nostra manu peragrati simus, spe certâ freti:
DEUM OPT. Max. consilia actionesque nostras porrò pro-
spero eventubaturum. Quamvis verò arma nostra ulte-
rius proferre possemus, atque eo, quo datum est, modo vi-
ctoria uti adversus eos, qui partibus se nostris non adjun-
xerunt: tamen cum ea sit indoles nostra, ut Clementiam
& benignitatem potius nostram, quam iram & indignati-
onem testatam facere velimus; proinde vos hisce clemen-
ter serioque invitamus, ut viso lectoque hoc Diplomate
propere ad protectionem tutelam & patrocinium nostrum
confugiatis, & omni cum Poloniæ Rege commercio re-
nuntietis, intraque diem 20^{ma} styl. vet. proxime instan-
tis mensis Octobris VVarsoviam vel ipsi veniatis, vel De-
putatos vestros sufficientibus mandatis instructos mittatis.
Quod si feceritis, promittimus, libertatem Religionis im-
mutabiliter conservatum iri. Deinde milites nostros ab
omni Procerum & Nobilium, Civitatum, Castrorum &
subditorum violenta invasione, deprædatione ac direptio-
ne inhibebimus, atque commercia cum finitimis, quan-
tum ob injurias temporum fieri poterit, tuta & secura præ-
stabimus, ac postremo eorum desideriorum, quæ Statum,
Dignitatem & Iura vestra concernunt, condignam ratio-
nem

nem habebimus. Si hanc gratiam & benignitatem nostram aspernati fueritis, nec vos à Rege Poloniae separaveritis, neque quiete vixeritis, vos pro hostibus habituri, & possessiones bonaq; vestra Fisco nostro subiecturi sumus. Quibus vos Deo clementer commendamus. Dabantur Casimiræ ad Crakoviam d. 30. Sept. Anno 1655.

Carolus Gustavus.

Procerum & Ordinum

MAGNI DUCATUS

LITHVANIÆ

Literæ Reversales

De Fide, Subiectione q;

Regibus & Regno SVECIAE

æternùm præstanda,

servanda.

*Nos Magni Ducatus Lithuaniae
Proceres & Ordines.*

V Niversis & singulis, has inspecturis & lecturis, ad perpetuam rei memoriam notum testatumque facimus: Quod cum majoris partis Magni Ducatus Lithvaniae, patriæ nostræ charissimæ, à Moscho occupatio & oppressio, tum à Sacr. Reg. Majestate Sveciæ, post belli contra nos declarationem, imminens summum periculum, nec non à Serenissimo Poloniae Rege, IOHANNES CASIMIRO, omnis consilij, auxiliij atque opis, aliorumque omnium necessariorum mediorum destitutio ac defectus, evidentem nobis imponerent necessitatem communi

muni nostræ salutis invigilandi, & de modo in tuto collo-
candæ publicæ rei prospiciendi, ac Serenissimi ac Poten-
tissimi Principis ac Domini, Domini CAROLI GVSTA-
VI, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regis, Ma-
gni Ducis Finlandiæ, Ducis Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Ver-
dæ, Stetini, Pomeraniæ, Casubriæ & VVendæ, Principis
Rugiæ, Domini Ingriæ & VVismariæ, nec non Palatini
Rheni, Bavarix, Iulix, Clivix ac Montium Ducis, gratiam
& protectionem expetendi: Eadem verò Sac. Reg. Maje-
stas Sveciæ clementissimum suum in nos animum, para-
tamque in avertendis discriminibus & in gratiam ac Pro-
tectionem nos recipiendi voluntatem per Plenipotencia-
rios suos, Illustrissimum & Excellentissimum Dominum
MAGNUM GABRIELEM DE LA GARDIE, Comitem in
Leckôe & Arensborgh, L. Baronem in Eckholm, Dyna-
stam in Habfal, Magnushoff & Hoyentorp, Sac. Reg. M.^{tis}
Regnorumque Sveciæ Senatorem ac Thesaurarium, Ge-
neralem Ducatus Livoniæ, civitatisque Rigensis Guber-
natorem, Generalem Excercituum, statusque bellici per
Livoniam, Esthoniã atque Ingriam Vicarium, Academia
Upsaliensis Cancellarium, nec non VVestrogothiæ & Da-
liæ Legiferum; ut & Illustrissimum & Excellentiss. Domi-
num BENEDITUM SKYTTE, L. Baronem de Duderhoff, Dy-
nastam in Grönsiö, Mörby, Skytteholm & Strömstrum, E-
quitem Auratum, Sac. Reg. Majestatis Regnorumque Sve-
ciæ Senatorem, Gubernatorem Esthoniæ, Generalem Ca-
stellanum Arcium Revaliensis & VVittensteinensis, Aca-
demix Dorpatensis Cancellarium, & ad Excercitus Lega-
tum, declararet atque benigne offerret. Nos itaque, quem-
admodum de datâ Mensis Julij, Anni currentis, Sac. Reg.
Majest. Sveciæ, omniumque futurorum Sveciæ Regum,
subje-

subjectioni nos & omnes posteros nostros de facto subje-
cerimus, ita presentibus hisce publice declaramus atque
attestamur. Quod, quandoquidem neque per leges na-
turae, incolumitatis & vitae nostrae, Patriaeque plane oppres-
sa rationem posthabere, neque duobus Dominis, inter se
hostilibus armis decertantibus, per rerum naturam sub-
esse possemus; atque divinam destinationem tam inevita-
bili necessitate nobis declaratam debita veneratione a-
gnoscentes, fatalique ordinationi reverenter subjicientes,
tum verò singularem Sacrae Reg. Majestatis Sveciae clemen-
tiam & gratiam, quâ nos patriamque nostram complecti,
presentique exitio eripere dignatur & promittit, grato a-
nimo perpendentes, nostro posterorumque nostrorum
omnium nomine, scientes & volentes, proprio motu & de-
liberato consilio: Primum obsequio subjectionique supra-
dicti Serenissimi Poloniae Regis JOHANNIS CASIMIRI
in totum renuntiamus, omne ejusdem jus in hunc Magnū
Ducatum Lithvaniae annihilamus, nullumque presentibus
testamur & declaramus: Tum verò sub fide, honore & con-
scientiis nostris juramenti loco sanctè pollicemur, spon-
demus & hisce profitemur, Nos & Posteros nostros solam
praedictam Sac. Reg. Majestatem Sveciae, futurosque o-
mnes Sveciae Reges, pro legitimis nostris Regibus & Ma-
gni Ducatus Lithvaniae Ducibus, Dominis nostris clemen-
tissimis, nunc agnoscere, & in posterum perpetuò agnitu-
ros, Eisdem debitam subjectionem, fidem, reverentiam &
obsequia sanctè & inviolabiliter perpetuò praestituros. Cū-
etiam verò damna & incommoda praedictae Sac. Reg. Maje-
stati, futurisque omnibus Sveciae Regibus, Statuique eo-
rundem undecunque imminetia, & jam cum vitae & for-
tunarum nostrarum periculo semper & ubique praecantu-
ros &

ros & pro posse nostro averfuros. Nulla quoque fæderâ
Societates, Uniones, Tractatus, amicitias, &c. cum ullo
Monarcha, Rege, Duce & Republica, vel quacunque alia
potestate, eorumque ditionibus aut subditis inituros, qui-
bus etiam, si quæ antehac sancita fuissent, hisce renuntia-
mus; sed solos eos socios, fæderatos, unitosque & amicos
agnoscere & agnituros, quos S. R. Majestas futuriq̃ue o-
mnes Sveciæ Reges & Regnum Sveciæ nunc pro talibus ha-
bent, vel in posterum habituri sunt. Contra omnes illos
hostes pronunciare & pronunciaturos, quos iisdem hostes
vel nunc declararunt, vel posthac declaraturi sunt. Vice-
versa omnia, secundum Transactionis pacta, inter prædi-
ctos Illustrissimos & Excellentissimos Dominos, Sac. Reg.
Majestatis Plenipotentiarior, & nos conclusa, ac ab iisdem
Illustrissimis Dominis Plenipotentiaris cum Nobis Proce-
ribus & Ordinibus Magni Ducatus Lithvaniæ subscripta,
exacte observatum iri nobis stipulantes. Supradictis hisce
omnibus & singulis articulis nulla Papalis, Episcopalis aut
Ecclesiastica, sive quævis alia dispensatio, protestatio &
absolutio, nec non Comitiorum, conventuum, vel alia
decreta contravenire, vel minimam remoram injicere va-
lebunt. In cujus rei majorem fidem præsentibus, manibus
nostris subscriptas, sigillis proprijs communivimus. Da-
tum Keidani, d. Octob. Anno 1655.

L. S.

1077

Q.K.381,18.

REGI

CHRIST

REG

Habita

Ref

ERN

REC

LIT

AD STA

LIT

MAGNI

DE FIDE RE

255/

II n
6732

Æ

KI

Æ,

Æ

NDA.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

